



~~C. H.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

DE  
**TRANQVILLITATE**  
**ANIMI**

*DISSERTATIVNCVLA PROGRAMMATICA,*

QVA,

AVSPICE DIVINO NVMINE,

AD

**ACTVM ORATORIVM,**

D. III. OCTOBRIS

IN VALLE DIVAE MARIAE, NON PRO-  
CVL HELMSTETO,

clocccccxyv ab hora III-IVI habendvm.

SVMME VENERABILEM

**DOMINVM ABBATEM,**  
VICINOSQUE SCHOLAE NOSTRAE BONARVM-

QUE LITTERARVM FAVTORES,

EA, QVA PAR EST, HUMANITATE

INVITAT

**IOANNES DAVID MULLER,**  
RECTOR.

---

---

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.





Iversorum hominum diversa dari studia, nemo, nisi stupidi ingenii homuncio, qui cerebrum gerit in calcaneo, in dubium vocare poterit. Si enim oculos nostros ad ea, circa quae mortales occupati esse solent, vertimus, tot tamque

varios illorum deprehendimus

labores, ut ne cogitationibus quidem adsequi valeas. Multorum, quos gloria vexat inanis, pectora fastus turgidus sollicitat, nec illos quiescere concedit, usque dum aliquid gloriolae pulvisculum captaverint. Alios amor habendi sceleratus tenet obstrictos. Sunt, qui Veneris Bacchique flagitiosas sectari choreas contendunt, utque voti sui lascivi reddantur compotes, omnem movent lapidem. Alios Martis imperia subiecerunt sibi, atque hi nulla alia re suum obtinere

bohum summum posse autumant, quam si castro-  
rum furoribus interesse liceat. Verum quidquid an-  
xii hi volvunt revolvuntque Sisyphones, quid que-  
so aliud sibi comparant, quam ut innumerias adtra-  
hant aerumnas, & tandem se in perniciei profun-  
dam voraginem protrusos gemant. O infelices ho-  
sce operarios! O miseros athletas! quorum conatus  
sudorque nil nisi calamitatem miseriamque progne-  
rat luctuosam. Siquidem sane, rem aequa qui per-  
pendit lance, illuc cum primis adspirat, quomodo  
per omnem vitam animi quietem habere possit &  
tranquillitatem mentis. Hanc ipsam vir sapiens am-  
plexitur arctissime, hanc amat, hanc connubio sibi  
iungit stabili, propriamque dicat. De hoc ipso felici-  
cissimo quieti animi statu praesens scribere program-  
ma est animus. Priusquam vero ad ulteriorem fe-  
licitatis huius explicationem digredimur, haud exi-  
guia nobis obiectum iri videtur quaestio: an etiam  
hac in miseriarum valle, quo titulo vita hominis in-  
signiri solet, eiusmodi tranquillitas sit exspectanda?  
de nihilo hic scrupulus minime censendus, cum ipsa  
DEI eloquia passim totam hominis naturam, post pri-  
morum parentum lugendum lapsum, corrupcam in-  
gemiscant, viresque tam corporis, quam animi de-  
perditas, ut ex tali miseriarum profundo omnis de-  
negatus regressus, nec in integrum ulla restitutio  
sit speranda. Atque hoc oracula non solum profan-  
tur divina, sed & gentilibus ex ruderibus & sanae ra-  
tionis reliquiis innotuisse, certissimo certius est.  
Seneca, sapientissimus ille morum doctor, nemo,  
inquit, sine vitio est, omnes peccavimus. Non de-  
lin-

linquimus tantum, sunt verba huiusdem gentilis;  
sed & ad extremum aevi delinquemus. Succinit hu-  
ic Philosopho Stobaeus: cogita, connatum esse ho-  
minibus peccatum, cui ad fine eiusdem sapientis ef-  
fatum: ingenita est cunctis malitia. Hinc etiam a-  
pud Herodotum: homo, quantus est, calamitas est.  
Sic nulla herba, nulla medicina unquam fuit inven-  
ta, quae miseris mentis tumultus sanare, removere  
atque abigere possit. Hoc in terrarum orbe sum-  
mum bonum, verissimam felicitatem, tranquillita-  
tem mentis, quae tantum in caelo invenitur, quaer-  
rere, nec perturbationibus animi, nec fortunae suc-  
cumbere, irrito fieri videtur labore. Quamvis igi-  
tur talis mortalium conditio, turpes ut, iudice Plu-  
tarcho, omnes animi morbi, tantum tamen abest,  
ut omnem homini facultatem, quam animi tranqui-  
llitas secum vehit, abnegemus, ut potius omnia  
impedimenta per genuinam educationem, per since-  
ram morum inculcationem, per crebriores ad D E  
V M fusas preces removeri, & ad illam, tanquam ad  
portum omnis quietis, perduci posse, intrepide ad-  
severemus. Quum igitur aperte satis ostensum, ad  
possessionem quieti animi aditum nemini esse occlu-  
sum, quis non omnibus eniti velit viribus, hanc ut  
felicitatem nanciscatur, & sic inter huius pretiosissi-  
mi quasi lapidis adeptos recenseatur; illud autem ut  
obtineamus, erit necessarium, ut integrae vitae si-  
mus scelerisque puri, omnesque pravos adfectus  
exuamus. Illos enim homines, his qui se mancipant,  
in extremam praecipitant miseriam mentesque adeo  
turbulentas reddunt, ut p[re]a[ma]n[ti]citate, ex eiusmo-

di motibus scaturiente, saepe ubi locorum agant,  
nesciant, ignorent. Felices igitur praedicandi illi,  
quorum vitiosam indolem iam a teneris sollicita e-  
mendavit educatio. In his rebellantium affectuum  
motus, si non plane nulli, exigui tamen inveniuntur.  
Haec si malignitas e medio sublata, magis magisque  
ad interiorem tranquillitatem es adpropinquaturus.  
Nec parum ad hunc adsequendum scopum proderit,  
malorum conversationem sedulo si vitaveris. Si e-  
nim, ut Seneca philosophatur, a conversantibus mo-  
res adsumuntur, &, monitore Plinio, ad rationem  
bonae vitae etiam exemplis erudimur, quis non vel  
manibus palpat, pessima exempla animis nil nisi ma-  
la, unde inquietudo oritur, propinare. Nunquam  
autem ad tanti boni perceptionem perveniet homo,  
nisi omne negotium hoc arduis ad D E V M fusis preci-  
bus sit inchoaturus. Hoc vel ipsi gentilium sapien-  
tiores neverant. Adposite hinc inter alia Seneca rö-  
ga, inquit, audacter D E V M, & bene consideranda,  
quae Plato tradit, quod nimirum in omni actione  
D E V M semper oporteat invocare. Hac ratione si  
iter ad tranquilli animi arcem instituerimus, non vi-  
deo, quid hominem porro inquietare possit. Hac  
ratione omnes usi sunt sapientissimi, quando ad hoc  
tanquam ad summum bonum contendebant. So-  
crates certe, cuius indolem ad scelera proclivem ob-  
servarunt, per ingenuam educationem, excultam  
informationem, mentisque ad D E V M reflexionem,  
adeo suam naturam emendavit, ut inter sui saeculi  
optimos fuerit habitus. Proh quanta in hoc viro sa-  
pientia! quanta prudentia! quam amabilis affectuum  
har-

harmonia! semper erat idem, nihilque ipsum move-  
re poterat. Ut in vita, ita & in morte, praesenti sem-  
per erat animo, nec luctus dabat signa, cum corpo-  
ris exuvias deponeret. O felices igitur, o terque qua-  
terque beatos! quibus hanc felicitatem, quam animi  
quies secum habet coniunctam, adquisivisse divino  
datum munere! huiusmodi virum, ad effatum Ho-  
ratii, non civium ardor, prava iubentium, non vul-  
tus minantis tyranni, mente quatit solida & quiete.  
Haec igitur cum ita sese habeant, quis se miseriis ob-  
noxium gemat, nisi qui bene pieque vivere ignora-  
verit. Impiis enim Esaias, mysta divinus, pacem  
denegat. Nos, qui CHRISTO dedimus nomen, ita  
vivamus, ut in hoc mundo tranquillitate animi per-  
fruamur, tandemque ad aeternam quietem pertinga-  
mus. Peroraturi amplificationes dialeæticas patrio  
sermone recitabunt, ita ut

**CHRISTIANVS HENRICVS FVCHS,**  
Helinga-Magdeburgicus, modestiam commen-  
daturus;

**CHRISTIANVS FRIDERICVS SEGER,**  
Bahrdorfio-Brunsvigius, eruditionem optimum  
hominis bonum esse, adfirmaturus;

**SAMVEL FRIDERICVS HAKE,** Crem-  
linga-Brunsvigius, ebrietatem studiosum non  
decere, ostensurus;

**GOTTLIEB FERDINANDVS FRIDE-  
RICVS BOSSEN,** Abbenroda-Brunsvigius,  
Christiano non competere hypocrisin, concio-  
naturus;

DA-

DANIEL CHRISTOPHORVS RAHTGE,  
Frelestedto-Brunsvigius, eruditiori honorable  
competere, adseveraturus;

ERNESTVS CONRADVS LVBBECKE,  
Vorsfelda-Brunsvigius, libellum famosum ho-  
minis dignitatem laedere, adfirmaturus;

GEORGIVS HENRICVS CHERVBIM,  
Helmstadiensis, noctu debacchantem per pla-  
teas non esse studiosum, dicturus sit.

Proinde summe venerabilem Dominum Abbatem,  
singulosque Musarum nostrarum Fautores, quo par-  
est, observantiae cultu oro, ut benevolentiam suam  
praesentia & auscultatione adtenta declarare ne  
deditigentur. P.P. in valle D. Mariae prope Helm-  
stetum A.O.R. ccccxxxv. d.III.

Octobris.



Ung. VI 58 (1)


ULB Halle  
002 686 287

3



56,

VDI 7  
Sep. 2000 Pd.



B.I.G.

Farbkarte #13



DE  
**TRANQVILLITATE  
ANIMI**  
*DISSERTATIVNCVLA PROGRAMMATICA,  
QVA,  
AVSPICE DIVINO NVMINE,  
AD  
ACTVM ORATORIVM,  
D. III. OCTOBRIS  
IN VALLE DIVAE MARIAE, NON PRO-  
CVL HELMSTETO,  
clobccxxxv ab hora III-IVI HABENDVM,  
SVMME VENERABILEM  
**DOMINVM ABBATEM,**  
VICINOSQE SCHOLAE NOSTRAE BONARVM-  
QVE LITTERARVM FAVTORES,  
EA, QVA PAR EST, HVMANITATE  
INVITAT  
**IOANNES DAVID MULLER,**  
RECTOR.*

HELMSTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.